

Dissertatio medica inauguralis, de hydrope, ascite praecipue / [Johann Michael Haucke].

Contributors

Haucke, Johann Michael.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halle : J.J. Krebs, [1701]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ebzam6us>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,
De

HYDROPE, ASCITE PRÆCIPUE,

Quam

IN ALMA REGIA ET ELECTORALI
FRIDERICIANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI BORUSSIÆ, HEREDE &c. &c.

*EX DECRETO GRATIOSE FACULTATIS MEDICÆ
SUB PRÆSIDIO*

PRO-RECTORIS MAGNIFICI

DN. GEORGII ERNESTI STAHLII,
MED. D. PROF. PUBL. ORDINARIII
ET FACULTATIS DECANI,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores
& Privilegia Doctoralia adipiscendi,

*Ad d. Junii Anno M DCCI, Horis ante- & pomeridianis,
Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet*

JOHANNES MICHAEL HAUCKE,
Svartzburgicus.

HALÆ MAGDEB. Typis Joh. Jacobi Krebsii, Acad. Typ.

HYDROPE
ASCIETPRACHIE

IN ADMA REGIA ET ELECTORALI
MEDICINA
RIGORIS MAGNIFICENTIA

D. N. F. R. I. D. N. I. C. O.

W. I. F. R. I. D. N. I. C. O.
REGNI ELECTORIS RHEODANI
ET DECEMBER

PRO REGIS MAGNIFICENTIA
D. N. GEORGIUS ERNESTUS STALLER
MEDICUS RHEODANI

PRO REGIS MAGNIFICENTIA
RHEODANI

PRO REGIS MAGNIFICENTIA
RHEODANI

PRO REGIS MAGNIFICENTIA
RHEODANI



PROOEMIUM.

Quanta sit utilitas, imò verò necessitas, perpetuarum secretionum & excretionum, quàm necessaria his ipsis sit humorum iusta qualitas, & viarum meatuumque proportionata libertas, elucescere confidimus è iusta consideratione tum qualitatis humorum & præcipuè sanguinis, tum motus eorundem multis modis necessarii, sive circulationis sanguinis. Quamvis autem hic ipse perpetuus motus seu circuitus sanguinis, recentioris ævi inventum existat, adeoque ex antiqua Schola Medica parum autoritatis Theoreticæ nancisci possit, sed potius ab illis, qui eundem reppererunt, etiam illustrationem atque confirmationem, explicationem & applicationem, expectare debuerit; non videtur tamen, ita uti debuerat, & quantum nos judicare valemus, etiam potuerat, undique satis solerter vel explicatus vel applicatus esse. Quod ipsum ne numerosis & longè petitis exemplis adumbrare necesse habeamus, excusare nos poterit paulò intentior consideratio **HYDROPI**S, morbi uti satis frequentis, & qui Medicis plurimum sanè negotii facessat, ita tantò dignioris, ut etiam Theoreticè nativitas & indoles ejus paulò luculentius evolvatur, ut inde partim ad ejus curationem, quan-

tum fieri potest, tantò planior via sternatur: partim prognosi, & summæ difficultati Curationis, Causæ suæ atque fundamenta ita assignentur, ut inde clarum evadat, quamobrem hic affectus ita difficillimus curatu compareat; & tantò magis illud quidem, quo profundius invidulatus, & morâ obfirmatus occurrit. Suscepimus itaque evolutionem ejus, pro Specimine Inaugurali, nempe HYDROPIS, præcipuè ASCITIS, historiam, causas, indolem, & inde tractationem Medicam, declaraturi. Invocamus vero divinam benedictionem ut hæc nostra cœpta prosperè succedant, & ad usum aliquem Rei Medicæ, vergant & pertingant.

§. I.



Ominis notio, quando nomen aliquid speciale in recessu habere videtur, non immeritò sagacius atque circumspectius pensitatur; quando vero nihil horum subest, sed libera potius & plana impositi nominis ratio occurrit, ibi in re obvia scrupulos movere, fuerit nodum in scirpo quærere. Unde etiam nobis facile sufficere potest uno verbo monuisse atque notasse, quod vocabulum ὕδρωψ, Græcum, & hætenus latino quoque sermoni immisceri solitum, seu quod vulgo vocant latinitate donatum, nihil aliud denotet quam faciem, vultum seu *obtutum* veluti *aquosum*: nempe quod hac labe correpti, *membra*, vel interdum *totum corpus*, velut *aqua* impletum & suffarctum offerant. Dicitur aliàs etiam Latinis verbis, *aqua intercus* vel potius *intercutem*: Germanis *die Wassersucht* / *wassersüchtige Geschwulst*. *Ascites* vero in specie dicitur ille Hydrops, qui *abdomen* instar *utris*, qui ἀσцитὶς est Græcis, implet: & apud Latinos quoque receptum est nomen, quamvis etiam Hydropem abdominis appellent: apud Germanos vero speciale nomen non obtinuit, sed potius *ναὶ ἐξοχήν* *die Wassersucht* appellatur.

§ II.

Historica ejus descriptio potest ita commodè absolvi, ut primo loco exhibeantur ea, quæ ipsis statim sensibus sese offerunt, *visui* nimirum & *tactui*; ubi *Hydrops* est tumor plus minus universalis, aut *multarum* ad minimum corporis partium, admodum *turgidus*, albus seu *pallidus*, & reliquæ cuti partium etiam adhuc minus affectarum plurimum *concolor*; tactui *mollis* & *frigidus*, vel ad minimum nullum insignem atque specialem calorem, sed aliquale potius *frigus*, si ad naturalem reliquarum partem temperiem fiat comparatio, præ sese ferens; præterea, si digitis paulo fortius tangatur, pressionem ita cedens, ut etiam *foveam* seu vestigium factæ hujusmodi impressionis post se relinquat in cutaneis locis, quæ tamen haud ita multò post, quasi spontè sensim iterum assurgit, & reliquæ partis planitiem, in sua proportionè æquat.

§. III.

Ascites vero speciatim est notabilis, imò plus minus insignis ejusmodi tumor, totum *abdomen* distendens; conjunctum communissimè habens tumorem ejusmodi aquosum *pedum* atque *crurum*, imò ipsorum planè *femorum*: quem vulgò velut eminenter *œdema*, quod alias in genere tumorem designat, appellare consueverunt: quod quidem nomen, ridiculè secundum *Criticos*, sed certè non ita absurdè secundum convenientiam cum re ipsa, *Paracelsus* interpretatus est *Undiniam*; insolita nempe derivandi atque formandi ratione, non ita tamen inconcinnè ab *unda* seu *aquâ* petito nominis quasi fundamento.

§. IV.

Exferit sese tumor hic primò communissimè ferè in *pedibus*; undè magis magisque per *femora* ad ipsum *abdomen*, velut ascendendo, denique hujus etiam magis conspicuam inflationem producit, quæ sensim, interdum etiam satis citò,

augescens, ultimò totam hanc cavitatem admodum extendit, ut ad scrobiculum Cordis usque, valdè inflata & protuberans conspiciatur. Occupat etiam satis frequenter, in maribus *scrotum* & totum *præputium*; sicut in fœminis quoque genitalium labia ab hac labe non intemerata manent.

§. V.

Aquosi humidi Affectus partium *internarum*, & *capitis* imò ipsius *Cerebri*, seu *Hydrocephalum*, specialiter nostræ tractationi inferere non libet: suffecerit nobis, si ex historia, & deductione *causarum*, illorum quoque affectuum indoles satis dispici & cognosci possit, quomodo partim ab iisdem initiis, uti reliquus *Hydrops*, pronascentur: partim prima, & veluti primaria sui ipsorum, labefactione, *causa* diffusioris vel universalioris *Hydropis* evadant.

§. VI.

Evenit vero hic Affectus non ita promiscuè quibusvis hominibus, sed servat notabilem diversitatem ratione (1) *etatis* (2) *sexus* (3) affectuum *prægressorum*. Variat similiter ratione *ortus* sui, & *impetus*; imò secundum has circumstantias etiam ratione *loci*. Ita enim *Infantibus* ferè absolutè & unicè, evenit *Hydrops capitis* seu *Hydrocephalus*; *Juvenili* & *media ætati* *Ascites*, & satis quidem promptè atque impetuosè, idque iterum præ aliis sexui *fœminino*. *Senioribus* familiarius, eveniunt *œdemata segniora* pedum atque crurum, non ita præcipiti motu atque impetu in verum & prævalidum *Asciten* prolabantia &c.

§. VII.

Subsistunt hujus generis tumores, communiter cum insigni pertinacia; recentiores quidem & incipientes demum, in cruribus, subsident sæpè per *calorem* lecti sub somno nocturno: redeunt vero ad ingenium suum interdiu, quando *erecti* patientes, vel incedunt atque ambulant, vel sedent dependentibus cruribus.

§. VIII. Fit

Fit etiam non rarò, & est sanè pessimum horum affectuum accidens, ut tumor ille pedum tacitè, & quasi sponte *disparens*, inflationem aliquam atque *duritiem* abdominis, cum *angustia*, *anxietate*, imò *febrilibus* symptomatibus, interdum spasticà alvi *obstructione*, interdum *colicis* dōloribus, conatibus *vomendi*, *appetitus* eximiis dejectionibus, *siti*, *virium* lapsu, post sese trahat. Quando vero ad crura atque pedes redit, mitescit etiam proportionatè illa ipsa vehementia symptomatum, & recuperat patiens priorem, *tolerabilem* ad minimum, valetudinis statum.

§. IX.

Quo magis morbus hic invaluit, & distento enormiter abdomine, ægrotum tandem conficit, eò magis cadunt *vires*, perit *appetitus*, increbescit *sitis*, *contabescit* habitus corporis superioris, cooritur *tussis*, vehemens subinde, sed quo vehementior tanto *siccior*. Tandem interit patiens; & haud raro quidem cum notabili *febre*, præsertim si vel mediæ adhuc ætatis fuerit, vel morbum per notabile tempus sic satis tolerabilem expertus sit.

§. X.

Dissecti post mortem hujusmodi Patientes, offerunt communiter magnam quantitatem, aut ad minimum proportioni intumescentiæ respondentem infarctum, humoris fluxilis, & satis diluti, in ipso abdomine; nempe inter Peritonæum, sive internam superficiem partium abdomen continentium & ambientium, & ipsa intestina atque viscera, verbo, in *cavitate abdominis*.

§. XI.

Rariùs ferè contingit, ut materia hæc acris sive *serosa*, aliis receptaculis, & veluti *saccis* inclusa, intrà abdomen hæreat. Cujus generis exempla partim habentur Act. N. C. Dec.

II. Anno I., notante *Merclino*: partim etiam à sero, in *oment*i cavitate, tanquam sacco, concluso, quale quid habet *Hæchsterus* Dec. X. cas. 7. Alibi ab *hydatidibus* in variis abdominis *partibus* atque *locis*, collectis, & aquoso humore turgidis, cuius rei varia exempla collegit *Bonetus Anatomia practica* lib. 3. sect. 21. cap. 21., è quibus, cum liber non in omnium sit manibus, libet allegare Autores ipsos, ut *Zacutus* Prax. l. 2. obs. 52. & Med. Princ. hist. lib. 2. c. 123. obs. 24. *Hæserum* Herc. Med. lib. 3. c. 2., *Hippol. Boscum* de Facult. Anatom. Lect. 2. p. 17., *Coiter*. Obs. Anat. p. 117. *Thom. Barthol.* Act. Med. An. 71. 72. obs. 8. *Plater*. observ. lib. 3.: *Cordenum* comm. 5. ad lib. 1. de morb. mulier. *Aichholtz* apud *Scholtz*. Consil. 326.

§. XII.

Notandum præterea est, quod in sectione hydropicorum hujusmodi, frequentissimè *hepatis*, aut *lienis*, vel *utrorumque*, & cum vel sine his, *glandularum* mesenterii, *pancreatis*, *renum*, horum inquam singulorum, vel plerorumque, vel omnium, viscerum, *magnitudo*, *consistentia*, *color*, *continuitas*, ita manifestò, & ad oculum quoque, læsa atque perversa appareant, ut exinde abolitionis, vel ad minimum maximæ depravationis, usus atque officii eorundem, evidens argumentum, non possit non innotescere. Cujus quidem rei evidentia exempla, ex *Schenckio*, *Smetio*, & ex allegato *Boneto*, collectas varias historias & specimina, non denuò huc citare placet, sed solum, tam ex his, quam *Moroni* Directorio conquirenda, partim exempla ipsa, partim Autorum nomina atque loca, commendare, & simul operum horum Mnemonicorum laude maxima dignam utilitatem albo calculo notare.

§. XIII.

Id unum monemus, quod attendenti talium observationum exempla, non possit non occurrere, quod in plerisque hujusmodi casibus præsertim *gravioribus*, *hepar* aut *lien*,
aut

aut *utrumque* viscus, non gravem conspicuam labem exhibuerit. Adeo quidem, ut etiam apud *Bonetum* aliquot exempla occurrant, *hepatis* intus planè decoloris, pallidi, flavi, exterius tamen satis bene colorati, ubi Autores hydropem talem ex alterius visceris, v.g. *cordis*, mala constitutione, NB. *hepate illeso*, promittebant.

§. XIV.

Nobis certè, partim ex autopsia Dn. D. Præsidis, partim ex communicatione practicorum fide dignorum, labes *hepatis* in hydropicis deploratis, imo morbo hoc mortuis, haud exiguo numero suggeruntur, ubi *hepar* perpetuò gravissimè læsum, & præsertim in junioribus, veluti perpetuo in *globum* contractum, & *duritie*, quæ sub sectione quasi *strepitum* quendam ederet, infectum, occurrit: sicut in paulò annosioribus, magnitudine ad duplum, & amplius, auctum, & planè *albidum* atque decolor, sub dissectione faciem aliquoties exhibuit, quasi merorum corpusculorum, non modo externa *figura*, sed etiam *magnitudine* vulgares lentes referentium. In aliis verò, præsertim *tympanitica* magis abdominis inflatione defunctis, *aridum* & plane siccum, *nigrumque* & veluti fumo induratum *hepar* aliquando occurrit, quale quid apud *Horstium* lib. 3. observ. 9. *Tulpium* lib. 2. c. 36. &c. reperitur, & Dn. D. Præsidi tam exemplo Sereniss. cujusdam Ducis, quam Ministri Ecclesiastici, innotuit.

§. XV.

Concurrunt communiter cum *hepatis lienisque* vitiis, imò ferè cum Hydrope Ascite undecunque tandem nato, *glandularum* mesenterii & ipsius pancreatis indurationes, decolorationes, inflationes, & præternaturalis magnitudo. Occurrunt ejusmodi observationes hinc inde apud Autores; quarum plures adducit *Bonetus* Anatomix practicae Lib. III. Sect. 21. cap. XI. quibus non possum quin adjiciam unam similem,

quæ mihi *αὐτόμην* accidit Lipsiæ, dum sectioni cadaveris ascitici ab Excellentissimo Dn. Doctore Petermanno administratæ adstiti. Exhibebat hoc videlicet, *Hepar* non modo insigni *mole* ultra naturalem quantitatem excedens; sed etiam admodum *induratum* atque scirrhosum; vesiculam *fellis* pauca, sed *picea* nigricante tenaci materia instructam: *pancreas* pariter induratum: *glandulas* mesenterii ad fabarum magnitudinem turgidas, duras: præcipuum vero, & maximè spectatu dignum phænomenon exhibebat *ventriculi* interior tunica, *nodis* globosis parvarum avellanarum magnitudine tota obfita: qui videlicet nihil aliud erant, quam exiguæ illæ in statu naturali, miliares vel annulares, *glandule*, quæ aliàs tunicæ huic villosæ, quo latere cum nerveâ cohæret, interspersæ cernuntur.

§. XVI.

In abdominis *cavitate* reperiuntur subindè plures libræ *aquæ serosæ*; in *tumoribus* vero pedum œdematosis sive hydropticis, nemo crediderit infarctum adesse purè aquosum. Undè etiam factis incisionibus, aut sponte coortis ulceribus, emanat utique serosus humor, & quidem non rarò ita copiosus, ut etiam stillando modò non gutta guttam feriat; sed abest tamen adhuc longè à nuda, absoluta *plenitudine*: quod quidem etiam ex eo satis dispale scit, quod crura ita, ut in numerosis asciticis observatur, distenta atque suffarcta, si aquoso humore revera ita expleta essent, quantum quæso *pondus* habere deberent; de quo tamen ejusmodi patientes minimè ita insigniter conqueri audiuntur.

§. XVII.

Historiam hanc si ita consideremus, ut ex illa *causas*, earumque ordinem investigare laboremus, statim sese nobis offert humoris *serosi* & *lymphalis* constitutio saturatior atque spissior, quam debebat; & *organorum*, quæ transcolationi horum liquorum inserviunt, *depravatio* sensibilis. Quæ ante-

teaquam solertius excutiamus, monendum adhuc habemus-
quod in *asciticis*, veluti ordinariè *urina* præter omnem con-
suetudinem & proportionem ad potum, *pauca*, interdum *te-
nuis*, interdum etiam *crassa* & *colorata* occurrat : Et quidem
sæpè satis sine aliquo conspicuo *renum* vitio, in defunctis : aut
si illud quoque sese offerat, meritò tamen dubitari possit, an
ad constituendum Hydropem uti *causa* quadam, an vero po-
tius uti *productum* ejus morbosum, respicienda sit.

§. XVIII.

Organorum quæ *transcolationi* atque *depurationi lym-
phæ* & feri dicata sunt, præcipuum esse *hepar*, & dehinc omnes
glandosas partes, hodie extra dubium positum est ; has in Hy-
drope evidenter depravatas esse, testatur quotidiana experi-
entia anatomica : & quidem depravationem illam præcipuè
consistere in *porositatis* illarum impeditioe, testatum facit
tactus ipse, qui viscera hæc in tali statu, aut infarctu insolito
oppleta, aut injusto minorem capacitatem *contracta*; utrinque
vero ita manifesto *densata* esse deprehendit, ut debito suffici-
enti commodo transitui humorum non pateat successus.

§. XIX.

Jam, cum & *humoris* in consistentia sua depravatio, &
organorum illi dicatorum labefactatio, sese hic offerat, potest
non immeritò oriri dubium, cuinam horum primus in cau-
sando locus assignari mereatur. Putamus vero rationi sanæ
non contrariari, si dicatur, utramlibet harum causarum, in di-
versis subjectis, posse primum locum obtinere. Siquidem
humor qui per aliquod colatorium transire debet, si jam ali-
undè in propria sua *consistentia* lædatur, & libero successui im-
par reddatur, potest utique ipsa illa, per quæ transire debet,
colatoria, poros nempe & meatus illorum, suffercire, obsti-
pare, iisque inhærescere.

§. XX.

At vero neque minus conspicuum est providæ pensitationi, quod etiam *organorum* illorum arctatio, si illam à quacunque causa tempore priorem evenire contingat, humorum, quorum attenuationi aliàs inservire debebat, retentioni & depravationi recto gradu anſam præbere poſſit.

§. XXI.

Ut adeo nihil quicquam impediatur ſtatueretur & pro certo agnoſcere, quod hydrops interdum humoris vitio immediatè, ortum ſuum debeat; interdum vero præcedens *viarum* vitium, pro cauſa agnoſcat. Ubi tamen non modo veriſimile eſt, quod ab inſigni *viarum* vitio, Hydrops *frequens* prognaſcatur, quam immediatè ab humorum dyscrasia: ſed certiffimum omnino, quod à *viarum* vitio ſubnatus, longè *impetuoſior*, magis *citò* invaleſcens, & correctioni atque reſtitutioni *difficilior*, deprehendatur.

§. XXII.

Adſtipulatur huic ſententiæ Experientia, hodiè certè non ita rara in *Febribus*; utroque vero, tam propiore, quàm antiquo ævo, in *Hæmorrhagiis* enormibus, ſeſe exhibens: dum videlicet, quando hujusmodi affectibus, per fortia & copioſè ingeſta atque continuata *aſtringentia*, feſtinato impetu occurratur, admodum facilè & frequenter, hydropici affectus ſuccedere deprehenduntur: & quidem admodum familiariter concurrente notabili ſenſu *gravitatis*, *tenſionis*, *reſiſtentia*, in dextro hypochondrio, & maturis admodum *urina* in quantitate & conſiſtentia, vitiis.

§. XXIII.

Certè cum jam tùm ipſi Veteres per experientiam edocti fuerint, quod Hepatis vitia, etiam nullos adhuc *tumores* poſt ſe trahentia, *urina* conſiſtentia & excretioni notabiles alterationes adferant; recentior vero detectio humoris *lymphalis*,

phalis, & officii *glanduloso*rum organorum, & vasorum *lym-*
phaticorum circa eundem, manifestum reddat, quod hic li-
 quor à *seroso-salfo*, magis ad urinariam excretionem spectan-
 te, planè diversus sit; consistentiam interim habeat *spissiuscu-*
lam & *gelatinosam*: sub his omnibus autem circumstan-
 tiis, nullum sit dubium, quin in sanguine arterioso concur-
 rentes hi humores, *lymphalis* & *salfo-serosus*, in illis ipsis or-
 ganis, & eminenter quidem in hepate, iterum ita à se invi-
 cem sequestrentur, ut *lymphatica* quidem substantia per ca-
 pacia illa & numerosa *vasa lymphatica*, quæ ex illo viscere
 prodire conspiciuntur, veluti denuò depurata, per notabile
 tempus veluti libera & *sincera* sibi relinquatur, antequam san-
 guini denuò admissa, cum *sero* ibidem rursus concurrat: ap-
 paret nobis hinc ad minimum necessitas aliqua indigitari,
 quamobrem *lymph*a & *serum* non perpetuo inter se temerè
 commixta relinqui possint; aut si illud vitio organorum il-
 lorum, quæ huic secretioni inservire debent, utique contin-
 gat, hi ipsi liquores mox aliquam notabilem labem indè con-
 trahant: quam rem proinde paulò attentius considerabimus.

§. XXIV.

Notari videlicet debet insignis illa diversitas, quæ in-
 tercedit inter consistentiam *gelatinosam*; & *mucosam*,
 lentam, tenacem; ubi prior, *gelatinosa*, tum leni calore at-
 tenuatur & fluidior evadit, tum concussione & transpulsio-
 ne per spongiosa porosa organa, in fluiditate satis tenui con-
 servatur, imò veluti exaltatur: econtra *mucida*, lenta, sub-
 stantia, non modo calore nihil alteratur in ordine ad fluidita-
 tem; sed neque motui tali transpressorio ullo modo obse-
 quitur, sed potius obruendis, atque ita *obstruendis* teneriori-
 bus *poris* atque meatibus apta existit.

§. XXV.

Jam, cum *lymph*a habeat consistentiam talem *gelatinos-*
am;

jam; *serum* vero *salinis* pinguibus, & actu jam *mucidis* particulis, scateat: ex illa *lymphæ gelatinosâ*, & *seri salsa* atque *pingvi, salso-amaricante* consistentia, nimis diu, aut perpetuò, inter se commixtis, transitus è *nuda gelatinosâ* substantia *lymphæ*, fiat in *spissiore*, *turbidior* imò *mucidam* tenacem, consistentiam. Elucescit hinc tantò magis, quam necessaria sit perpetuo renovata illa *lymphæ à sero salso*, sequestratio: & quomodo, hac ipsa non ita uti decet, procedente, ipsi *sero* tanta *spissitudo* inducatur, ut debitis *excretionibus*, quæ prævias *secretiones* supponunt, successus non pateat.

§. XXVI.

Quando itaque *hepar* præcipuè, tanquam organum copiosæ *lymphæ puræ* sequestrationi à *sero salso pingui*, dicatum, in debita sua *porositate*, qua separationem illam præstare debebat, notabiliter læditur; adeoque magna quantitas *lymphæ à sero* non debite per vices sequestratur, sed eidem longo tempore confusa relinquitur; sequitur inde eò magis certò, & manifestò, citatum illud à nobis magnum incommodum, nempe *dyscrasia spissa mucida, seri fluiditatem* ita irretiens atque impediens, ut nulla sufficiens ipsius *secretio & excretio* perpetrari possit.

§. XVII.

Cum vero *excretiones seri*, tribus præcipuè modis, quoad partes ejus *fluxiliores*, fiant; nempe (1) secundum maximam ejus partem per *transpirationem*; (2) insigni quoque portione, & præcipuè *salino-sulphurea*, per *urinam*: (3) ex parte sui magis *sulphurea*, per *bilem*: redundat mox effectus inductæ hujus generis *dyscrasiæ spissioris*, in universam *excretionem*, & singulatim quaslibet hujus modò allatas species. Ita enim *transpirationis* *excretio* læditur *spissitudine* illa *mucida*, ut *serum* ita *incrassatum*, loco facilis & liberæ *exhalationis*, nihil aliud agat, nisi ut in *porosa cutis* substantia, vel restagnet vel

vel ad minimum impeditissimè progrediendo, *fibrillas* harum partium perpetua nimia humiditate emolliat, adeoque *relaxet* & labefactet, ut copiosiori appulsui, imò paucarum tenerinarum *halituosarum* seri partium, *vaporosa* expansioni, facillimè cedentes, partim *aquosum*, partim *halituosum*, spongiosum, *spumidum*, ejusmodi tumorem hinc efforment.

§. XXVIII.

De *Urina* tantò evidentius atque clarius est negotium, quandoquidem *densissima* præ omnibus reliquis sincerorum humorum colatoriis, conformatio & structura *renalium* meatuum, non potest utique *spissam* materiam, in tali sui consistentia transmittere; neque verò hæc, ut æqualiter spissa & mucida, *fluidiorum* partium aliquam secessionem admittere: unde mirum omninò non est, si vel non nisi *parcissima* admodum *tenuis* materiæ excretio, diuturnâ quoque morâ hic contingat: vel in super paucum illud quod ita secernitur, præterea sit *crassum*, *salina* ad minimum insigni crassitie.

§. XXIX.

Non immeritò fanè ab aliquibus recentiorum in his affectibus hypodricis accusatur etiam insignis depravatio *bilis*; utpote quam scrutinia anatomica, in personis hoc morbo defunctis, vel nimis *vappidam*, *submucidam* tamen atque lentam: vel nimis *spissam*, valdè *tenacem*, imò aliquoties omnino in *siccitatem* quadantenus concretam,prehenderunt. Undè quidem haud paucis nata est suspicio, quasi *bilis* vitium in Hydrope, *causæ* prorsus, imò vero *primariæ*, rationem habeat, dum sanguinem & serum non satis (quod illi aliàs attribuunt officium) resolvat, ac attenuet, undè illi deindè spissitudo talis atque mucositas eveniat &c.

§. XXX.

At vero, ne quid hic dissimulemus, neque illi justam rationem talis opinionis habere, neque circumstantiæ *separationis*

tionis atque *motus* bilis, tale quid permittere, ullo modo videntur: sed potius manifesta prorsus apparet ratio, cur, in his casibus, bilis non debite secernatur; quia bilem per *hepar* è sanguine separari, omnes consentiunt; quando vero *hepar*, tanquam organum colatorium harum rerum obstructum, & præterea ille ipse humor, è quo bilis, & quidem *pauca* per magnam hujus quantitatem dispersa, separari deberet, ipsemet spissitudine sua secessioni paucarum talium partium refragatur: absolum certè videtur sub talibus circumstantiis undæque evidentibus, ad conceptus ejusmodi adeò parum probabiles confugere, & nescio quam longè petere, quod antè pedes positum, sensus ipsos feriat.

§. XXXI.

Parum probabiles dico hos conceptus ex rationibus, quas, ne aliena tractationi nostræ præter necessitatem immisceamus, brevissimis allegabo. (1) bilem veram, non æque per *hepar* in *folliculum* fellis transmitti dicunt aliqui horum; sed tantum *materiam* proximam, è qua bilis deinde fiat, per nescio quod *fermentum* (2) alii iterum dissident & inferri quidem bilem in *folliculum*, veram confitentur; sed negant solum quod hoc fiat per *poros bilarios*: sed potius per tenuissimos tubulos ex hepate immediate invesculam fellis insertos: in pori vero bilarii ramificationibus putant ferri materiam ab *acrimonia* & amaritie bilis plurimum diversam. Jam si horum utrumlibet ipsis largiremur, quod tamen de reliquo nunquam animum induxerimus facere; quomodo persuadebunt cuiquam, labefactata textura *hepatis*, hanc ipsam, qualemcunque tandem supponant materiam, *sinceram*, in ductus suos, per colatorium male affectum non modo penetrare atque traduci, sed ibi demum *degenerare*, & cum *genuina* appulerit, jam demum in loco suæ perfectionis *ἄπο μὲν* interverti, & à bona indole desciscere?

§. XXXII.

Imò Verò, quod gratuitas tales suppositiones præsentius evertat, est ipsa Experientia; Siquidem (1.) ex redundantia bilis in universam massam humorum, qualis in *Ictero* manifestissima est, nullus penitus effectus occurrit, qui suppositam illam bilis energiam *humorum colliquatoriam* ullo modo innuere possit, (2) si bilem effectum hunc tunc demum edere supponent, quando in *vesicula felle*, per suppositum illud *fermentum* exacuata, amara atque penetrans reddita, dehinc cibus affusa, cum his confermentata, & ita demum denuò in sanguinem traducta est: cur ergo *IctERICI* diuturniores, *albis* scybalis, aut segnissima alvo, aut *lientericis* dejectionibus defatigati, non facilè, nedum ita promptè & properè, ut ex hac hypothese necessariò fieri deberet, *intumescunt*? sed satis tardè & tunc demum, ubi sine ulla probabilitatis difficultate, fons mali huius, nempe consequentis *intumescentie*, omni jure certius eidem *hepatis* vitio, quod bili quoque transitum negat, attribuitur (3) Quibus rebus tantò magis fatale est experimentum illud propemodum vulgare, quo animalibus vivis totus *folliculus felle* & ductus *cholodochus* planè *exscinditur*, quæ nihilo minus ad notabile tempus, plurium septimanarum, mensium, imò amplius, supervivendo, nullum penitus *tumoris ascitici* vestigium exhibent, sed magis ad *tabidas* extenuationes, & hoc ipsum quoque tardè atque segniter, vergunt.

§. XXXIII.

Ex quibus omnibus cum itaque satis dilucescat, quod bilis sua *intemperie*, insignem causæ rationem hic habere non possit; manebit utique allegata à nobis assertio inconcussa, quod vitium *bilis* in *hydropicorum* corporibus repertæ, potius sit *consecutivum*, productum nempe atque affectus alterius causæ, nempe vel *humorum* ipsorum serosorum intemperiei *mucida*, bile ipsa parcius instructæ, aut non *acrem* sed vappidio-

rem huiusmodi substantiam complectente : vel à *colatorii* specialissimi, nempe *hepatis*, vitio : imo denique ab utrisque his *concurrentibus*, cum sectiones cadaverum *Hydrope* extremo mortuorum hoc phænomenon demum exhibeant. Imò vero non desunt exempla apud Autores, ubi *bilis* nulla sensibili dyscrasia affecta fuisse putari possit, cum inter commemorationem malæ constitutionis reliquorum viscerum, *bilis* nullam labem annotaverint. Valet vero hoc tantò magis de illis *Hydropicorum* anatomiis, in quibus *hepar* illæsum apparuisse notatur; quamvis meritò in hoc genere, nempe de *hepate illaeso*, plus respiciendum sit ad verba historię, quam titulum, cuiusmodi exempla plura adduci possunt, sed sufficit numerosa horum generum exempla apud *Bonetum* pervolvere.

§. XXXIV.

Quando vero cum alterutrius, *humorum* aut *viscerum*, aut utrorumque etiam *reciproco* vitio debita *lymphæ* & *seri* secretio; atque ita *lymphæ* temporaria nova vel ut *instauratio*, & per propria sua organa attenuatoria *subactio*, mucilaginum quoque subnatorum *excretio*, non debitè succedunt, adeoque *spissitudo* illa *mucida* hinc copiosè subnascitur, ibi nemini utique durum videbitur, quod *secretiones* & *excretiones* serosæ maxima'n partem suppressæ, progignant illam *restagnationem*, *infarctum*, *remollitionem* cutanearum fibrarum, adeoque maioris indies infarctus novum quasi receptaculum atque locum.

§. XXXV.

Cohibitis vero ita maximam partem excretionibus, cum non possint non ordinaria receptacula *lymphæ* adhuc qualitercunque tenuioris, sensim nimium distendi, contingit utique tantò facilius, ut aliquod vasculum lymphaticum, uti sunt *consistentiæ* tenerrimæ, tandem rumpatur, eoque ipso per-

petuus effluxus atque effusio lymphæ contingat. Cum vero vasa lymphatica non modo longè numerosissima atque capacissima, in abdomine præstò sint, sed & ibi præsertim liberiora ac veluti nuda jaceant, propterea sunt sane huic læsioni præ omnibus aliis, non solum magis, sed unice fere exposita.

§. XXXVI.

Quemadmodum vero omnia quidem reliqua vasa lymphatica insigniora, fere cum venis & arteriis incedunt, atque retibus illis quasi vaginalibus, quibus illi canales modò inter se invicem, modo cum musculis, membranis glandulis &c. connexi sunt, unà comprehensa detinentur, ita, ut illic quidem locorum, rupturæ eorundem nullus omnino sit metus: quod item de lymphaticis *mesaraicis* quoque omni jure dici potest, utpote quæ ipsi mesenterio, & duplicaturæ veluti ejus intertextæ, detinentur: ita sane vasa hujusmodi nulla fere sunt rupturæ tali magis apta, quam illa, quæ ex *hepate* immediate prodeunt, *capaciora* quoque aliis. Ubi tamen non obliviscendum est, quod in *homine* omnia, adeoque hæc ipsa etiam vasa, longè aliter quam in brutis, in specie canibus, undiquaque ferè *fibris* atque *tunicis* ambientibus involuta atque firmata compareant.

§. XXXVII.

Ut liberè mentem nostram profiteamur, *nuda* certè vasorum lymphaticorum præsertim adeò promptæ *disruptioni* nequaquam adeò facilè subscribere possumus. Quando vero diuturnior illorum extensio, jam in conspicuas bullas, quas *hydatides* vocant, excrevit, ibi certè jam longè majorem ad rupturam hujusmodi facilitatem agnoscimus. De reliquo, *tardè* admodum succrescentes *asciticos* tumores, arbitramur haud incommodè deduci posse à simplici copiosiore *transsudatione* serosæ substantiæ, in ambitu corporis nullam evacuationem nasciscente, adeoque tantò majori copia circa inte-

riora restagnante; ubi à *calore*, & ipsa partium ibi hærentium *teneritudine*, pori adhuc laxiores, quàm in peripheria, vel potius *superficie* corporis, meritò agnosci possunt.

§. XXXVIII.

Non placet dissimulare atque silentio præterire peculiare illud phænomenon, quod hydropicis quasi communissimè, certè eminentissimè *tumor* primò *incipiat ab* infimis corporis partibus, nempe *pedibus*; Antiquam traditionem, quasi Natura humores inutiliores ita ad *remotiora* loca propellat, vix quisquam magni ponderis rationem habere agnovit; altera, quamvis haud paulò plus momenti habeat, non tamen exhaurit omnes circumstantias, est verò, quod pedes *frigidiores* reliquo corpore existant: ubi quidem illam huius *frigoris* rationem, quia à corpore & corde longè remoti sint, inter momenta probabilitatis non referimus: sed illam tantum, quod *externo* frigori magis expositi sint; Interim cum experientia doceat, quod etiam benè *calefactis* & decenti amictu à frigore munitis pedibus, nihilominus tumores hi non parcant, præcipuum certè fundamentum huius effectus in hac circumstantia quærere, meritò dubitamus.

§. XXXIX.

Agnoscinus vero pro veriore causa ipsum *decubitus*, hinc inde per peripheriam corporis restagnantis ita lymphæ ferossæ magis nude *perpendicularem*, ex *gravitatis* nudo motu ita contingente, & nullos alios meatus, quam nudam *porositatem* partium sequentem. Cujus rei exempla sese nobis etiam offerunt, in decubitu *ichorosi* seri ad genua, imò ad talos, ex *fissuris* ossis coxendicis aut femoris. Unde licet œdema illud pedum, interdum *decubitu in lecto* notabiliter resolvi videatur; non tamen hoc tam *calori*, quàm *situi* corporis in acceptis ferendum est: Quamvis enim ipse moderatus *calor* sine omni dubio ad distributionem & refluxum stagnationis illius hu-

humoris aliquid conferat; plus tamen longe hic efficere alterum, nempe *fitum*, modo dictum, statim ex eo elucescit, quia quantumcunq; ejusmodi patientes, pellibus, culcitris, amiculis, imò balneis atque sudatoriis, pedes *calefaciant*, si *erectum* fitum reliqui corporis his jungant, tumor nihil hinc, in proportionem ad decubitus, si nempe ille jungatur, cedat.

§. XL.

Imò vero si tales patientes in *calido* suo lecto persistant, *sedendo* vero superiorem medietatem corporis erectam servant, incipiunt mox moxque *coxa* œdematosa illo tumore obfideri. Perpetuo vero decubitu, confirmat Experientia, *abdominis* immediate tumorem, atque hinc diversa ejus pathemata, sensibili veluti successu, mox augescere & magis magisque inolescere. Quod sane ut Experientiæ testimonio gaudet, ita non magis notandum, quam considerandum est.

§. XLI.

His rebus ita se habentibus, superest illud unicum, ut consideremus excretionem *alvinam* quoque, qualis in nostro affectu illa evenire soleat. Est vero communiter *liquida*, *mucoſa*, aut ad minimum, si vel maxime naturali consistentiæ similior, *mollis* tamen & *lubrica*. Deficit quoque rariùs præterquam cum summo patientis incommodo, & vel universi affectus, vel graviorum *ſymptomatum* præsentanea exacerbatione. Interdum dejicit *cruda* etiam aut semicocta assumpta, cum *mucoſitate* copiosiore concurrente. Semper autem melius habent patientes ad minimum in proportionem, quando melius *succedit* alvus, vel sub ipsa quoque copiosa ejus dejectione multum *mucoſa* substantiæ una secedit: vel etiam magna quantitas *aqueæ* materiæ cum ejusmodi diarrhæa excernitur. Habent vero tantò majorem usum, quo magis adhuc *vires* patientis constant, & viscerum *robur* & energia minus labefactata sperari potest.

Sicut autem dicta hactenus *organorum & humorum* vitia, eorumque mutui respectus, habent rationem *causarum*, ut vulgò vocant *mediatarum proximiorum*, utpote à quibus promptior est transitus ad formandam causam (*materialem*) *proximam*, eamque in ipsum effectum deducendam, sive *formalem* rationem ipsi conciliandam: ita *remotiores* causæ, secundum varios præsertim *gradus*, possunt utique esse variæ; nobis vero placet illarum *potissimas* ad minimum attingere, & eorum mutuos nexus, ejusque ordinem & efficaciam; breviter tantum designare. Sunt vero (1) *Temperamentum* phlegmaticum, & Sanguineum etiam: (2) concurrens cum istis insignis *pletora abundantia*: (3) *Dixta crassitie* humorum gignendæ & fovendæ apta: (4) *repentina copiosissima* boni sanguinis *amissio*: (5) *repentina & fortis condensatio & adstrictio viscerum* abdominis: præcipue (6) tali tempore, quo potius *commotio* aliqua humorum ad, & per ista, velut in motu jam erat. (7) *insolita & enormis, sanguinis, præcipue crassioris, congestio & diuturnior detentio* circa vasa & viscera abdominis. (8) *intempestiva potulentorum ingestio*, quæ exitum quidem, *diureticum* præsertim, impellere poterant, sed eundem tamen non inveniant, quale quid de intempestivo quarundam *thermarum & acidularum* usu, ad sinistram usque harum famam, notum est. (9) *scabiei* male cohibitæ, & *venenorum* debiliore effectu ad *Cachexias & Hydropes* pedententim deducendum, tanquam magis privatam, aut ad priores classes jam reducendam energiam, prolixius designare, non fuerit operæ pretium.

§. XLIII.

Temperamentum quidem insignis omninò hic est efficaciam; partim ex ipsius sanguinis *phlegmaticorum* intemperie, ad ejusmodi *mucositatem* jam disposita: partim ob *habitus* totius corporis, in hoc & Sanguineo magnam porositatem & *laxitatem*:

sem: Vasorum e contrà sanguiferorum manifestam *angustiam*; & propter hanc, ordinarie consuetum copiosum commeatum humorum per partes, *extrà* quasi vasa. Unde si humores hos in consistentia sua, citatis modis lædi contingat, tantò facilior est illorum in his partibus impeditior successus, emollio partium ipsarum ulterior, distensio, inflatio, tumor.

§. XLIV.

Plethora, & quidem præcipuè valdè *abundans*, quomodo motui *circulatorio* in genere, & *transcolatoriis* in specie, varias remoras objiciat, facile perspicit, quicumque perpendit proportionem *movendi* humoris ad *energiam* motus; attenuationis debitæ, ad *tardiores* progressum: imò capacitatis loci pro successu libero, ad nimiam & velut undique regurgitantem materiæ quantitatem. Comprehendet vero facile, quod ita & sanguis successivè *crassior* & coagulascens indè subnasci possit; à regurgitantibus vero *stagnationibus*, & *stases* facilius generari, & cum his obstructions pariri: quin imò quomodo ab impeditiore progressu sanguinis largior secessio *lymphæ serosæ* contingere possit, non ineleganter monstrat Experimentum illud *Loweri*, de *Corde* Cap. I, ubi interceptis venis, relicto interim arteriarum libero successu, tumor œdematosus, & in abdomine multa effusio ascitica subsequi deprehensa sunt. Quomodo vero cum *abundantia* tali concurrens *crassities*, omnia hæc pericula intendat, nulla remonstratione indigere arbitramur.

§. XLV.

Enormes sanguinis *profusiones* putantur post se trahere tumores œdematosos, per *refrigerationem* nimiam; ubi quidem verum est, quod actuale *frigus* corporibus ita exhaustis admissum, effectum intumescentiæ admodum promoveat; Sed revera videtur nobis longè verisimilius malum regimen circa *diætam* reliquam etiam unà accusandum esse. Certissimum

num vero ab Experientia, & maximè dilucidum rationi, arbitramur esse illud damnum, quod à repentina *subsidentia* viscerum colatoriorum, subtracta repentè tanta quantitate humorum, quibus aliàs veluti distenduntur, expectari meretur. Quando vero per copiosum & diu continuatum usum remedium quoque fortiter *adstringentium*, pro sistendis fluxionibus illis intrò assumptorum, hæc *constipatio* augetur, vix homo fuerit, quin noxium hujus rei effectum tantò facilius indè agnoscat.

§. XLVI.

Quando vero jam aliqua insignis *commotio & congestio*, citra debitum sufficientem progressum, versus & circa viscera abdominis, & *venam portæ* contingit, quæ vel diuturna *restagnatione*, vel planè superinducta tali meatuum & pororum in visceribus *constipatione*, modo dictum illud fonticum incommodum, quod *Lowerianum* Experimentum demonstrat, nempe secessionem, diffusionem, & perruptionem valdè copiosam *lymphæ serosæ*, post sese trahat, ibi tantò evidentior utique est, eventuum & universa causandi ratio.

§. XLVII.

Ingurgitatio *thermarum, acidularum*, imò vel aliorum quoque potuum, in certiore viscerum abdominis *obstipatione*, quam prompte atque facile hujus generis effectus post se trahant, uti ab Experientia notum est; ita ratio ex immediate dictis facile dilucescit. *Scabiei* vero efficacia in eò consistit, quod cum corruptio ejus non nisi fere in summa *superficie* cutis fieri atque procedere soleat, cohibita & retropulsa hac ne eo usque erumpere queat, subsequatur ejusmodi diffusio per vicinas adjacentes partes. Invalescit vero hæc prompte utique etiam per universam viciniam, qui mos est hujus generis tumorum.

§. XLVIII.

Venenorum viva corpora *languidiūs*, & *œdematosè* quidem, *tumefaciens* effectus, non est, nisi pariter plane mediatuſ; fundatuſ videlicet in ejusmodi irregularibus *toni viſcerum*, alicubi *adſtrictoriis*, alibi *relaxatoriis*, alterationibus. Unde quidem in ſubjectis, repentinis hujus generis motibus obnoxiiſ, etiam ſæpenumero, præſertim paulò *debiliores* doſes hujus generis venenorum, fatiſ præſentaneos tumoruſ talium effectuſ, edunt & poſt ſeſe trahunt.

§. XLIX.

Neque vero ſilentio prætereſ licet reciprocuſ etiam illuſ effectuſ, quando revera magiſ ab *humorum vitio*, per *externam* aliquam vim, v. gr. *frigus* inſigne, *luxationeſ*, *contuſioneſ*, *eryſipelatodeſ* & *phlegmonodeſ* inflammationeſ, *metaſtaſeſ* febrileſ, &c. magiſ immediatè *externè* coortæ *œdematoſæ* inflationeſ, tandem etiam, ipſi *Asciti* anſam præbent, eumquæ poſt ſe trahunt. Sicut etiam *gravidarum* hoc interdum eſt fatuſ, ut factò graviore uteri prægnantiſ incubitu in divaricationem venæ cavæ, aut alterutruſ: ejuſ ramuſ *iliacuſ*, vel utraque crura, vel alterutruſ, hinc tumore tali, evidentiuſ per Experimentuſ illud Lovverianuſ explicando, afficiantur.

§. L.

Imò vero non placet negligere diſtinctionem illam, non magiſ ad Diagnofiſ, quam Prognofiſ pertinentem, inter *Cachexiam*, *Leucophlegmatiam* & *Anaſarcam*, ſine admoduſ conſpicuo adhuc *Ascitico* tumore: & *Ascitem* ipſuſ. Siquidem uti *Cachexia* providè tractata, præ omnibuſ hiſce ſpeciebuſ promptiſſimè & ſecuriſſimè adhuc reſtitui ſolet; ita omninò ipſi iſti *uniſverſaliores* tumoreſ, æqualiter ferè per totuſ habituſ, aut vegetè ſanè, coorti atque progreſſi, ſunt revera pariter longè melioriſ ſpei, quàm *Hydropſ Asciteſ*, ſive cum illiſ complicatuſ, ſive aliundè coortuſ.

Rebus ita constitutis, non adeò difficilis utique fuerit rationis perceptio, quam obrem tumores ascitico-hydropici curatu sint adeo difficiles, refractarii, rebelles. Cum enim *viscera*, præsertim ita diffusa, ut est *hepar*, & tam arctis meatibus instructa, ut sunt *glandulose* tales partes, quando semel insignem labem permeabilitatis suæ contraxerunt, nimium quam difficulter ab illa rursus liberantur; cum etiam in superficialibus corporis partibus *scirrhomose* obstipationes, quotidiana Experientia nimium quàm promptâ teste, adeò curatu refractariæ ac difficiles sint, ut, quantumvis ibi remedia, sine prævia insigni alteratione, effectus suos edere possent: quod in abstrusis illis visceribus longè aliter se habere nemo nescit: ita sanè à causa adeo pertinaci, effectum quoque refractarium oriri, & contumaciter foveri, quis miretur.

§. LII.

Indè videlicet est profectò, quod non desint medicamenta, quæ *asciticos*, etiam satis inveteratos, *solentur, sustentent, sublevent*; imò haud ita raro, si solus tumor spectetur, eximiam spem restitutionis imperitis faciant. Non sublato interim, & insuperabili, vero illo totius mali fundo, qui in ipsis *visceribus* intimius residet: frustra sunt omnia, productum saltem morbosum, nempe *tumorem*, minuentia, resolventia &c.

LIII.

Sub tali itaque rerum statu, facilè accuratiori pensitationi succurrit, non modo quid agendum occurrat, sed etiam qua *methodo*, ordine, atque dignitate; dum dependentiæ ratio utique non modo considerata hic venit, sed omninò immensum quantum dispares, ratione *primarii* momenti, infert respectus. Ita enim princeps omninò & *primarium* opus nullum utique aliud, quam *viscera* ipsa integritati suæ restituere; breve dictu, sed factu quàm difficillimum negotium. *Se-*

cundus

cundus scopus, est utique corruptelam humorum hinc, vel undecunque tandem, subnatam, *corrigere*: *Tertius*, effusos & diffusos atque *restagnantes* hos humores, qui actu tumorem constituunt atque suffercunt, *evacuare*: Quartus partibus ipsis tumore hætenus enervatis, robur & *tonum* suum non magis restituere, quam conservare.

§. LIV.

Quemadmodum vero communiter contingit, ut vel minus perspecta vera causarum ratione atque energia; vel alias magis tumultuariè atque empiricè susceptis curationibus, facilius *leviora*, difficiliora etiam difficillimè corrigantur: ita obtingit id ipsum, imò obtinet etiam, præcipuè in ipso nostro affectu: siquidem hic etiam multa sanè Experimenta, Observationes, traditiones, reperiuntur, quæ sequiores quidem scopos sic satis exsequuntur: *præcipuos* vero adeo non attingunt, ut nihil indè solidi ad effectum speratum obtineri posse, quotidiana Experientia, cum querimoniis non magis patientium, quàm ipsorum Medicorum, nimio plus confirmet.

§. LV.

Accusaverunt verò etiam Veteres *hepatis* vitium; sed communiter ferè magis *formale*, nempe efficaciæ ejus *sanguifica* debilitationem atque depravationem; commendaverunt etiam huic malo expugnando varia, quæ etiam *aperitivorum* nomine, multa vero *roborantium* appellatione, insigniverunt. Interim longè maximam, & ferè præsentissimam opem, quæfiverunt in *Evacuantibus*. Undè non solum varia, sed vix non *fortissima* quæque, *purgantia*, huic destinaverunt.

§. LVI.

Reverà vero apud longè plurimos, (in quorum saltem Scriptis *suspectissima* illa commemoratio non observatur, quod omnes patientes tali methodo ab ipsis *restituti* sint) vel ex ipso contextu, vel ingenua penitus confessione atque re-

eenfione, abunde legere est & deprehendere, quod ita quidem & hac methodo, Medici *curaverint*, sed non *sanaverint*. Cavendum vero profectò est, ne in ejusmodi rebus fides temere adhibeatur variis recensitionibus atque pollicitationibus quæ e longinquo, modo ratione loci, modo temporis anteacti, in talibus casibus jactantur, sed semper attentius considerandum, quomodo illud succedat: *hic Rhodus hic saltus*; ubi quidem non negamus, confusionem *Cachexie* cum *Hydrope*, sæpius forte ipsos etiam tales narratores decepisse, ut tolerabiliorem longe affectum, pro alio plane dispari habuerint, adeoque si talem posthac simili methodo curare aggrediantur, spe sua excidant & seipsos frustrentur.

§. LVII.

Cum vero nimix molis fuerit, recensendis numerosis Autorum traditionibus, tempus & chartam consumere; placet nobis potius illa, quæ pro *selectioribus* in hoc genere agnoscimus, adducere, ita tamen ut eadem simul quadantenus ad regulas supra citatæ methodi disponamus. De qua tamen illud unum adhuc semel monere necesse habemus, quod in hoc etiam affectu, ut in variis aliis, haud exigua utique intercedat differentia, inter illud quod *dignitate primarium*, & quod *ordine primum*, existat. In nostro enim Affectu *Correctio* & *Evacuatio* materiæ, quæ tumorem jam format atque fovet, *ordine* minime posterior, sed par ad minimum, imò *prior* est, quando valde urget, quam *viscerum* ipsorum tentanda expeditio.

§. LVIII.

Correctionem materiæ, quærunt aliqui in variis drastico-teris *salinis*, chymicis præparatis; ita, ut profectò interdum vix credibile sit, quanta audaciâ & quantis conatibus, jam *alcalia*, *fixa*, sal Tartari & oleum ejus per deliquium, infusum calcis vivæ, Nitrum fixum; *Volatilia*, Spiritus urinæ, Cornu Cervi,
Sal.

Sal. Arm. simpl. & oleosus: jam *acida*, spirit. salis, Nitri, Vitrioli, simplices aut sic dicti *dulces*; Acetum, Acetositas Cetri, &c. jam *salsa*, ut haleces & similia, sæpè deinceps uni eisdemque patienti ingerantur; imò jam *vina* communia, jam spirituosæ *fortissima*, imò *spirit. Vin.* non modo commendentur, sed vel suppedientur.

§. LIX.

Quæritur hic idem effectus alibi in *lignis* & radicibus Exoticis, quæ aliàs ad *Veneræ* mala commendari solent. Neque tamen ne horum quidem effatu dignum effectum, & quem imitari, aut fidere eidem liceat, vel hodieque adhuc experti sumus.

§. LX.

Sperant hoc aliî ab *amarorum* usu & efficacia in genere; sed quousque effectus respondeat, Experientiam testem consulant atque afferant necesse est. Certè verisimile admodum est, quod *amara* illa magis ferè *viscerum* ipsorum reserationi, restaurationi, atque solatio conducant, quàm universorum humorum immediatæ *alterationi*: vel potius *motu*, jam diuretico, jam diaphoretico, præcipuam suam energiam, communiter tamen & ipsam satis parcam, exserant.

§. LXI.

Aromatica neque indifferenter omnia, neque vero pleraque aut potiora, locum etiam hic invenire testatur Experientia; illa vero præcipuè minimi hic sunt usus, quæ altius in sanguinem diffundendo sulphuream suam acrimoniam, *calorem* eidem conciliando inæqualem aut immodicum, *Hecticis* Febribus, & majori *hepatis indurationi* viam sternant.

§. LXII.

Cum legissemus enarrationem *Zacuti* Lusitani, de peregrina illa Indica, ut ille refert, radice, quæ *Ambuena* ab illo, qui eam attulerat, dicta sit; & simul ex eodem perciperemus

quod & acrimonia & alia similitudine, *Zingiberi* præcipuè illam comparet: simul verò apud antiquiores Medicos deprehenderemus ipsum *Zingiber* pro corrigente quorundam *veementium* evacuantium in *Hydrope* laudari: devenimus in eam considerationem, quod verifimiliter *zingiber* magis *corrigendo* materiam, & afficiendo vias, quam temperando ipsum *purgans* remedium, efficax sit: neque certè ipsa Praxi hanc suppositionem secuti, quicquam ibi ab hoc nostro conceptu alienum experti sumus.

§. LXIII.

Ipsa etiam *Antiscorbutica* dicta, quam nullam, omnia *indifferenter*, immediatam præsertim, efficaciam hic habeant, scient sine dubio experti. Radix *Armoracia*, & *Raphani*, præstant propemodum plerisque cæteris: Reliquorum vero, & in specie *coclearia*, quam incertus hic sit effectus, si præcipuè potius *præparata* aliqua ex eadem, quam ipsa adhuc in *substantia* adhibeatur, non facilius quisquam, quam *Experientia*, docuerit.

§. LXIV.

Remedia quæ *Correctioni* humorum nobis quidem efficaciora habentur atque deprehenduntur sunt *Absinthium*, *centaurium*, *Fumar.*, *Card. b.*, Rad. *Tarax.*, *Bardan.*, *Petasit.*, *Helen.*, *Vincetox.*, *Ari* quoque. *Zingiber.* *Armorac.* *Raphan.* Evacuant quidem horum etiam aliqua, præcipuè per *diuresin*: sed videntur omnino plus *alterando* præstare. E *Salinis*, quam certè non ita directè qua talem, laudamus spirit. *lumbr. terrest.* præprimis in *junioribus*, & malo minus inveterato, & magis etiam *anasarcode*, quàm purè *Afcitico*. Quid etiam alii *Lumbricis terrest.*; alii *busonibus* hic tribuant, consulantur Recentiores varii, sed notentur simul manifesta vestigia mutuarum transmutationum magis, quam fidæ *Experientiæ*. *Nitri* quoque usum, cum *arcano duplicato* rectè præparato, con-

jun-

juncto, in variis casibus Hydropicis salutarem esse, prudens
ejus & tempestiva exhibitio demonstrat.

§. LXV.

Visceribus, referendis idonea efficacia cum præsertim la-
bes communiter dependeat ab humorum in eadem infarctu,
speranda est hoc casu ab his iisdem, humorum ejusmodi *cor-*
rectioni dicatis medicamentis : ita saltem, ut admodum pro-
vidè attendatur ad selectum, cui humorum generi, aut præ-
dominio, quanam è dictis his magis convenire appareant.
Ubi, quò magis *phlegmaticus* & *mucidus* est status, eò *acriora*
& *amariora* è dictis indicantur : quò magis *Sanguineus*, eò
temperatiora, temperantia, Antiscorbutica &c. requiruntur.

§. LXVI.

In *Fæminis* quibus *mensium* vitium conjungi apparet sol-
licitè cavendum, ne remediis sanguinem valdè exagitantibus,
sive *pellentibus*, potius infarctus atque *oppletio* vehementior,
& *obstipatio* fortior certissimè inducatur, si exitus non sequa-
tur, quod propemodum ordinarium est. *Iusta* vero atque
efficax referatio hujus *fluxus*, est utique in tali Casu unicum
certius & constans Remedium sine quo omnia cætera in Hy-
drope vero, non nuda amplius *Cachexia*, irrita sunt & vana.

§. LXVII.

In illo vero casu, ubi potius ab *exarescentia* & *siccitate* He-
patis, malum hoc pendet, tantò difficilius est negotium, quia
ibi tumores tales *Oedematoso-Ascitici*, tardissimè communiter
sefe exferunt, obfirmato jam gravissime dicto illo hepatis ma-
lo. Quicquid hic boni adhuc sperare licet, petendum est à
moderatis *humectantibus, emulsivis*, herba & fl. *bellidis*, *sapone*
philosophico, & *Chymico-Medico saponis* usu, quorum utro-
rumque non rejicula certe subinde hic est efficacia.

§. LXVIII.

Imò vero in hoc quidem Casu, *Vectura*, aut imminuto
pluri-

plurimum tumore, *Equitatio*, ad hoc malum in specie, (non vero tam ad tumorem) minime spernendum habet usum, sicut à *Sydenham* ad *Phthisin* & *Hecticam* & horum generum *tussim*, eximie commendantur : quod quidem proinde tantò magis usum habuerit, ubi cum *Hydrope* tali statim à prima ejus nativitate conjuncta, imò jam dudum prægressa ejusmodi *tussis sicca*, vehemens, hectica, præstò est. In *Senioribus* hic operæ pretium facere, res est vix speranda.

§. LXIX.

Evacuatio utique necessaria esse videtur, & confirmat etiam ejus utilitatem ipsa *Experientia*. Circa genium vero & speciem ejus variat atque differt admodum, nuda vulgaris opinio atque *Theoria*, imò ipsa quoque *Praxis* ejus generis atque *Experientia* : dissident hæc inquam atque differunt plurimum ab *Experimentis* specialioribus, quorum unum ex observatione *Dn. D. Præsidis* non possum quin adducam. Est vero illud pulvis cujusdam *Præctici*, paucissimæ molis, nempe 8. granorum ponderis, cujus quotidie propinat dosin unam: hæc evacuat admodum omninò *parcè*, quoad quantitatem, neque pluribus quàm *duabus* per diem *vicibus* : verbo, non purgat tantum, quantum in valdè mobili patiente 12. grana *Gialappæ*. Nihilominus intra octiduum consumti hinc sunt in *Personis* quibus hoc medicamentum dispensavit ipsemet *Dn. D. Præses*, tumores magnæ molis, & abdomen atque pedes ad naturalem proximè subsidentiam, redierunt. Quod profectò *Experimentum*, cui insuper nullus insignis *urinae* fluxus concurrit, si non demonstrat, quod *evacuatio* copiosa, ut sic, curam horum tumorum non necessario absolvat, quid quæso aliud probabit.

§. LXX.

Interim, cum ejusmodi *Remedia*, non ita, uti quidem optandum esset, familiaria sint; sicut revera dictus hic *Præcticus*

eticus hoc suum Experimentum ne pro 50. thaleris alicunde contra oblati, communicare pertinax erat; ita interea notioribus contentos esse necesse est, ubi varia quidem commendari solent, tam antiqua ita dicta *phlegmagoga*, quam recentius cognita & in usum deducta. Quorum ista quidem v.g. sunt sem. *Carthami*, herb. *Soldanell.*, rad. *Ebul.* & *sambuc.*, *Juli* & *Cortices* etiam horum mediani: *Elaterium*, succus inspissatus & Extract. *Esul. maj.*, cortic. *frangul.* cort. & bacc. *Mezerai* &c. imò *euphorbium*, *helleb. alb.* Ex Recentioribus, *Gumm. Gutt.* & *Jalapp.* cui quidem posteriori, sunt qui radices *Mirabilis Peruana* æquiparare, imò planè pro eadem re venditare velint: sed nescias fortè in quo tertio. Obtinuit certè Dn.D. Præses elapso Autumno, in Horto Medico recans plantando, radices semestres, nempe ex ejusdem anni vernâ semente, proximè ad *trium librarum* pondus auctas, non magis succulentas, quam densas atque spissas: fecit etiam experimentum hujus efficaciam, sed reverà in hoc genere, etiam ab integræ *Drachma* pondere frustraneum, adeò ut si optandus ille effectus (quem ipsis tribuit *Dapper*, Descript. Americ. pag. 400.) contra *Hydropem*, ab ipsis revera expectari debeat, in *evacuatione* ad minimum quærendus non sit.

§. LXXI.

Neque vero pœnitendi effectus hic sunt, etiam *composita*, tam officinalia, quam Magistralia; siquidem ipsum Extract. *Panchym. Croll.*, modo dextrè adhibitum, satis hic utile est: neque *Elect. Hydragog. Sylv.* pœnitendæ hic est efficacia: imò *Oxymell. Helleb. Gesneri*, non magis ulù suo hic destituitur. Verbo, Remediorum in hoc genere, nempe ad *evacuationem*, abundè sanè est, & facilè illis potitur, qui modo methodum assequitur.

§. LXXII.

Ne Speciminis Disputarii loco, liber fiat, supersedemus ab examinanda prolixè diversitate illa, quæ apud Practicos

occurrit, in decidenda quæstione, utrum ex his conducatur, *confortim*, simul & semel, an vero *tardè*, *placide* atque *successive*, evacuare. Quod nobis, secundum Experientiam ita decidendum videtur, quod in *debilioribus*, æque ac *mediocribus*, *successiva* quoque Evacuatio locum habeat: in *robustioribus* vero etiam *copiosior* eductio celebrari possit.

§. LXXIII.

Diuretica Evacuatio, licet non æque *directo* scopo instituenda (ubi illam nunquam cum laudando eventu administrari vidimus) minimè tamen negligenda est. Perpetratur autem, partim per antè dicta *Alterantia*, & ex illis *Nitrosa* quoque prudenter adhibita: partim per *Tinct. Tartarizat.*, *aerem*, *succinatam*: partim per citata illa *saponaria*. *Cantharides* temerè & imperitè, nisi stolidus nemo usurpaverit: prudens vero non nisi peritissime. *CrySTALLORUM LUNE* energiam illis relinquendam censemus, qui per ipsos operæ pretium facere noverint: alios, quod nos quoque facimus, consultius abstinere jubemus.

§. LXXIV.

De Paracenthesi & evacuatione per illam instituenda aliquid his inferere, non patitur loci ratio. Suffecerit dixisse, quod remedium sit, rarissimè necessarium, rarius vero boni & securi atque constantis efficaciam: adeò, ut potius de illo ejusque difficultatibus, seorsim & velut ex professo agere necessarium esset, quàm nostræ tractationi vel nimium, vel mancum, de illo sermonem intexuisse.

§. LXXV.

Anima boni effectus, etiam ibi, ubi Affectus ratio illum adhuc admittit, est legitima *methodus*, secundum individuum, & morbi per individua, conditionem hic varians; sed omninò, secundum dicta tamen, iudicio Medici, circumspetto tamen & solerti, commendanda; Consistens vero plurimum, in prudentissima horum Medicamentorum, secundum diver-

diversos hos scopos *subordinatione* & *alternatione* : Abstinen-
do omni modo ab *insolentibus*, *Experientia* destitutis *alteratio-*
nibus, & *impotentibus intempestivis evacuationibus*, neglectis
præcipuè viscerum *tono*, *reseratione*, *restauratione*. His vero
rectè & prudenter tùm consideratis tùm in effectum deductis
sub tali etiam *viscerum* statu & *Natura* robore, quæ medica-
mentis respondeant, antè omnia vero sub Divina Gratia, non
est, quod de Cura *Hydropis* ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ sinistre speremus,
sed potius de felici ejus *restitutione*, vel ad minimum maxima
sublevatione atque mitigatione, patientibus gratulemur.

NOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO

P R Æ S E S

Εὐπράττειν.

EXimie profecto Divus Medicinæ Pa-
rens, in limine ipso primo præceptorum suorum
conqueritur: artem esse longam, vitam verò bre-
vem! Neque inconvenienter statim subdit: Tempus
præterea præceps esse, Experimentum verò difficile.
Omnia videlicet ita comparata, ut Medicinæ studi-
um aggressurus meminisse debeat quomodo talire-
rum statu sine labore & assiduitate, prudentia quo-
que, vigilantia, atque patientia, quæ obstaculis illis
satisfaciant, nullum operæ in hoc genere pretium fa-
cere possit. Neque vero ad antiqua illa dicta provo-
care opus est, quorum fidem frivola & sciola poste-
ritas elevare, pro suo propemodum officio habet,
atque gloriæ sibi ducit: Res hoc loquitur, & Experi-
entia nimium quàm odiosa, quæ, proh pudor! testa-
tur, quod diversa ab his institutis atque monitis viâ
ince-

incedendo, Medicina hodie modo non propalam
 illud audiat, quod inter semipotos Criticos Dipnoso-
 phistas Medicaastro objicitur: Exceptis Grammaticis,
 nihil Medicis esse stultius. Sed non placet *κινῆν τὸ ἔκκλ.*
 Laudandi potius, & excitandi sunt hinc qui Cordi ha-
 bent illud Græcorum Sapientum generale monitum:
γνώθι καὶ ποῦ. & digno pretio, labore, Deum dona, Sapi-
 entiam atque Scientiam, sibi coemere, cordi habent.
 Institisti tu quoque hanc viam, Nobilissime Domine
 Haucki, & Medicæ arti sane indefessam dedisti ope-
 ram. Possum hoc testari pro meo virili, quem in omni-
 bus Exercitationibus atque Præmonstrationibus assi-
 duus penitus auditor, nunquam deseruisti, & vero di-
 cta atque facta ad animum ita admisisti, ut egregium
 inde specimen, quoties de quibuscunque ejusmodi
 negotiis sermo moveretur, facile edideris. Documen-
 tum etiam hujus rei haud exiguum est præsens Tua
 Disputatio, qua rem profecto arduam in arte nostra,
 Hydropis justam medicationem ita tractasti, ut & Sci-
 entia & Experientia, non vulgaria exhibeas vestigia.
 Gratulor Tibi merito de rebus ita bene gestis, & præ-
 sagio inde gratos olim fructus, prosperos artis succes-
 sus, bonam famam, bonorum favorem, *καὶ τὴν περὶ τῆς*. Per-
 ge, quod facis, hisce Tuis actionibus, Divinam sedulo
 conjungere gratiam, ita dexterrimorum eventuum
 securissimus, infallibiliter potieris voto, quod Tibi pri-
 mo statim verbo exhibui, & hic ultimo quoque repe-
 ro, nempe *Εὐπερίστην*. Vale. Dab. Halis ex Musæo
 V. Kal. Julias, M DCCI.